Poësis 1427.

Mączyński Ioannis: Proasmata euchari-

Starcski Stef.

Theoremata logica

Beato Francisco

Borgiae gaudia.

Calissi 1625.

QVINQVE DE BEATO FRANCISCO BORGIA Prædicabilia

A Stephano Stareſki

PRÆDICATA.

GENVS.

Quid impotenti turgida ſpiritu,
Mendaciorum pegmata conſtruis,
Conſcijsque Veiouisq;
Tresque proles ſceleſta?
Fruſtra Deorum jactas originem,
Quæ prima virtus adderet calculum
Cressum recuſat; quem cataſtæ
Mancipat impietas Auernæ.
Falsam profanâ luſit imagine

C 2

Poppyſma

QVINQVE
DE BEATO
FRANCISCO BORGIA
Prædicabilia

A Stephano Stareſki
PRÆDICATA.

GENVS.

QVid impotenti turgida ſpiritu,
Mendaciorum pegmata conſtruis,
Gentilitatis, Veiouisq;
Tartarei ſoboles ſceleſta?
Fruſtra Deorum fingit originem,
Cui priua virtus addere calculum
Creſſum recuſat; quem cataſtæ
Mancipat impietas Auernæ.
Fallax profanâ luſit imagine

Poppysma fortis, iussit & impiè
Prensare nomen, & parentis
Empyrei titulos Clearchum,
Pro fasce thyrsum, pro diademate
Gessit Corymbos, vt Semeleio
Sese probaret infrunitus
Antigonus genitum parente.
FRANCISCE nostri gloria sæculi,
FRANCISCE gentis splendor Ibericæ,
Quem Gandiæ Ducem secures,
Quem Socii cupiunt IESV.
Fumosa nusquam cera nitet tibi?
Pictique vultus? nullus ab ordine
Longo parentum purpuratus
Conspicitur trabeâ, Sagoue?
Claret Gradiui pullus, & hostium
Alphonsus horror, clara Dioscorum
Quem gesta clamant, quem fatetur
Gloria progeniem Deorum.
Sacri Monarchæ, binaque lumina
Petri Liburnæ, Pontifices tibi,
Tibi tiaratus Senator
Magnificum Propylæon ornat.
Sed Celtiberæ gentis honoribus,
Clauoque raptum Gandiacæ plagæ,

In augu-

Inauguravit te sacratæ
Relligio Prytanem catervæ.
Augusta donat Relligio novum
GENVS, polaris sceptra Dynastiæ,
Ignatianæ insigne gentis
Stemmate nobilius paterno.
Mundi, Sacrato num Generi, GENVS
Non porgit herbam? num GENVS aureum,
Propago gentis Borgianæ,
Degener â genere es Deorum?
FRANCISCE Divûm de Genere es Genus,
Germana IESV progenies Dei,
O ter, quaterque te beatum.
Cui Generis Genearcha IESVS.

SPECIES.

NEronianæ blanda licentiæ
Poppæa consors, lacte Dianios
Vultus maritans, mentiatur
Ingenio Speciem sagaci.
Formam philautos Liriopes amet
Natus, comarum pectinet annulos
Adonis auro, Nicerotis
Luxuriet Galatea merce.

Effæminati pectora roboris,
Et militantes Idaliæ decet
Hic corporis mundus Gnathones,
Antinoos, Cytherea castra.
Cauteriati tessera pectoris
Est cura formæ: castior integræ
Mentis venustas, & pudoris
Flos decet Hippolytos Tonantis.
Odit fluentis lota Galesiis
Sepulchra mentis corpora BORGIAS,
Fucosque mendaces Phaonum,
Et spurii SPECIEM *decoris.*
Virtutis ostro, vel niue candidâ,
Sternebat ædem pectoris intimam,
Hoc puritatis purpurisso
Ille animi SPECIEM *parabat.*
Vitæ innocentis lilia BORGIÆ
Pinxêre pectus, sederat illius
Pæstana Flora castitatis
Virgineâ sine labe mente.
Qualis genitrix lactea Memnonis
Matuta candet: talis eburnei
Illime pectus Borgianum
Irradiabat amor nitoris.
Intus parandi calluit affabrè
Artem nitoris BORGIA, *calluit*

Intami-

Intaminatam Sanctitatis
Antidotis speciem tueri.
Non sic fouebat Parthenium decus
Iunonis, vndâ fons Canathus sacrâ:
Virtutis vt candore, lumen
Ille animi, Speciemque fouit.
Non sic arenæ peruigil incubat
Gryphs chrysopastæ, non ita candidum
Pellis decorem candidatæ
Musculus Armenius tuetur.
Vt protegebat pectoris integri
FRANCISCVS aurum, dum scelerum ariete
Desæuiebat Mundus, Orci
Iuppiter, & Paphius Cupido.
Ditis Procustes sacrilegâ manu
Integritatis non potuit decus
Contaminare, nec malignis
Luminibus Speciem tueri:
Vt cæca flammas Heliadum patris
Strix noctis ales, vel Libycus leo
Vulcaniæ tædæ nitorem,
Vel roseam Scarabæus Hyblam.
O rara magnis gloria mentibus!
Mentis nitorem quærere. Rarior,
Innubilatam Ditis vmbrâ
Tænariâ SPECIEM tueri.

Differentia

DIFFERENTIA.

SPargat Cynthius aureas sarissas,
Frontem exporrigat euge nunc serenam,
Ludat disparibus Camœna sistris.
Gestorum mihi Borgia est tuorum
DIFFERENTIA prædicanda de te.
Fasces, sceptraque Gandiæ, secures,
Hispani diadema Principatus,
Ardentes trabeas Tago, vel ostro,
Te Tartessiacæ plagæ Toparcham
Despex temnere mens, sequi coëgit
Pullatas aquilas, agema IESV.
Te carnis Metanœa perduellis
Luxum, Embammata lautiora mensæ,
Iussit Socraticis domare mensis.
Vt carnis domitæ toros ligares,
Ceu sacri, cute, baltheo Gradiui.
Qui nunc Orgia BORGIAS agebat,
Egit post Curium, stupenda cœlo
DIFFERENTIA! BORGIAM seuerâ
Mutatum macie, alterum putares.
Claret nomine sanctitatis orbi,
IESV stemmate nobilis sacrato,
IESV militiæ Monarcha summus,

Dux

Dux IGNATIVS, alpha Sanctitatis.
Plenum Pallade pectus, atque Phœbo,
Humanæ Sophiæ sacræuè lumen
Laynem prædicat, & stupet Tridentum:
Te virtus humilis Ducem manipli
IESV nobilitat, tuumque famâ
Cœli Phosphoreos vehit sub ignes
Nomen, Martia Romuli nepotum
Vrbs, Antarcticus, Arcticusque mundus.
Hæc est tessera, symbolonq; magnæ
Virtutis, tituliquе Borgiani,
Quo IESV superemines strategos
DIFFERENTIA: factus es strategus
IESV ducere signa vel phalanges,
E mundi Duce Dux, in omen iuit
Nomen, num libet hic gradum tueri
Tanto in Principe Differentialem?
Quantum Dux humilis Ducis supremi
Differs à Duce BORGIAS libero!
Iam vitæ Prytanæa ter beatæ
Flamen maxime, ter beate Mysta,
Iam cœli indigetum tenes brauium,
Famæ Mnemosynon, Beatitatis
Arrham, Daphnide iam caput reuinctus
In cœli Capitolio triumphas,
Dux Humillime BORGIA Imperator.

Vitam viuere quanta prô beatam
DIFFERENTIA? nos catasta terræ,
Nos mundi Gyari premunt, Tycheſque
Duræ flabra volant Borea nobis,
Et quaſſant decumæ ratem procellæ:
Tu nunquam moritura lustra vitæ,
Illimes agis abſque fæce ſoles.
Arcti te geminæ ſonant Beatum.
Cuius Prodromus hic honos honoris?
Omen quod canitur nouum Beato?
Nil vltra? gradus altior negatur?
Plus vltra. Gradus altior paratur.
Te mox Purpurei Patres in album
Diuûm ſcribere, te Sacer Senatus
Diuum dicere, te volet carina
Petri tollere ſub pharos polares.
Phœbum Phoſphore redde fauſtiorem,
Pernici celera Phanes quadrigâ
Gemmis tempora lacteis notanda
Hæc ter maxima fiet, & ſuprema:
DIFFERENTIA DIFFERENTIARVM.

PROPRIVM

PAlmare magni quod PROPRIVM viri eſt?
Et qua virili nobilior manu,

Franci-

FRANCISCE flos, & lux virorum,
Sparta viris decoranda magnis.
Acerbiorum Passio, & Actio,
Pullos Gradiui Romuleos decet,
Errantis vltor igne sæuæ
Prædicat Æneadûm strategus.
Nimbo ruenti pectora ferreo
Offerre, & hostem sub iuga ducere,
Exclamat Heros Martialis
Esse animi PROPRIVM *Quirini.*
Mentis repulsam dicere PROPRIO,
Et fastuosæ iura philautiæ
Odisse, libertatis aurum
Velle anathema sacrum Tonanti.
Ridere fului diluuium Tagi,
Et quidquid Hermi verritur alueo,
Gangisue, Lydius virorum est
Hic lapis, ingeminas Beate.
Heu quanta nôras, diuite depluit
Cornu malorum Gargara PROPRIVM,
Quot bella, quot Meum, Tuumque
Naufragas decumat procellas.
Iani recludit templa Patulcii,
Et dormientem suscitat impio
Ausu Gradiuum, mille rixis
Rumpit amicitias Achatum.

Ledæ gemellos pro PROPRIO ciet
Bellona, Cadmi dentibus vt satos
In armæ fratres, & cruentis
Belligerare iubet sarissis.
Fons est malorum, Lernaque PROPRIVM,
Gurges bonorum, Scylla Acherusia.
FRANCISCE vitâsti sinistram
Subsidio Peniæ Charybdim.
Codro Tonantis temnere PROPRIVM,
Panchros Eoæ munera Tethyos,
Gazamque Pactoli aut Hydaspis
Dona, supercilio Catonis
Damnare quantum est? hoc tua prædicat
FRANCISCE virtus. Esse tuum nihil,
Et PROPRIVM, quod cæca fecit
Diua tuum, locuplesue Iuno.
Feliciori quas tibi contulit
Pandora dotes pyxide BORGIA,
Non sunt tuæ, sed alma virtus,
Hæc animi PROPRIVM virilis.
Sellas curules, semideûm genus,
Quæ non parauit Dædala dextera
Nec Marte nostro, nec Mineruâ,
Vix ea nostra puto. Virorum est
Insigne virtus: quid proauos Thraso
Quid buccinatur regia stemmata

Iunonis

Iunonis vt volucris, Argi
Centoculi spoliis tumescens?
Stet nigra fumo cera per atria,
Crassiuè census splendeat, aut Midæ,
Ni regnet Astrææ sub imo
Imperium, Themidosq; corde.
Cinctus Gabini sunt nihili, & toga
Palmata: turgens sanguine principum
Diffibulatus Natta, struma est
Murice tecta, luesue bysso:
Si Parca vitæ stamina demetat,
Adulterinis nuda coloribus
Cornix cachinnos excitabit,
Rhinocerote graui notanda.
Virtus sequenda est æmula BORGIÆ,
Germana virtus nobilitas viri est,
Insigne PROPRIVM, *decusque.*
Illa Numas, Curiosue poscit.

ACCIDENS.

QVidquid cæruleo marmore Nereus,
Quidquid Maia fouet sinu,
Terrarumque potens mundus, & aureâ
Lustrat lampade Cynthius.

Æternas superat nil trieteridas,
Nullum Ens lustra perennia
Per se stat, vitreum est omne sed ACCIDENS.
O si Deliacæ sacro.
Effato tripodis Maxima verier,
Quæ clauos adamantinos
FRANCISCI penitis fixerat in fibris,
Vestram vellicet hæc Duces
Aurem cosmophili, queis nitidus Phanes
Ridet cum placidâ Tyche.
O he terrigenûm vita quid? ACCIDENS.
Quid transcendere pulueris
Soles Euboici, vel Pylios dies
Speras vitrea bullula?
Hic parcâ Lachesis liuida net manu
Vitæ pensa per Accidens.
Quid Tartessiaci sunt bona littoris
Pluti Gaza quid? ACCIDENS.
Audax Massagetes irruat aut Scinis,
Harpyiæ aut Lamiæ manus,
Pestis Mulciberi Lemnia, quodpiam
Læuum venerit ACCIDENS.
Durum Tellemachi, vel Cynici feret
Fatum, qui fuerat Midas.
Subiectum nihili fiet, vt inuida
Fors gazæ auferet ACCIDENS.

Quid

Quid lauri aut hederæ? quid diademata?
Phryxi Chrysea vellera?
Et bis lota Tyro læna quid? ACCIDENS.
Infælix cadat alea
Nudatum dibaphâ, sors miserabilis
Seiani Marium premet.
Subiectum imperii deseret ACCIDENS
Æquans sceptra ligonibus.
Quid forma est, Charitum lacte madens nitor?
Quid symmetria corporis?
Quid vernans roseas purpura per genas?
Aut vultus ebur? ACCIDENS.
Cygnæo veniat si Priami senis
Ætas æmula velleri,
Pandoræque furor sæuiat, & leue
Mittat febriculæ Accidens,
Vel condita necis cymbia toxico,
Det Clotho Libitinaué,
Subiecto fragili defluet ACCIDENS.
Personam capiti auferet.
Quæ vincebat Hylæ, membraque Nirei
Fiet forma cadaueris.
Sic Tartessiacæ forma Monarchidos
Lethi dentibus occidit,
Formosum Antiopes vicerat hæc decus,
Spartanæque Viraginis,

Vt facta

Vt facta est epulum dapsile vermibus,
Tabo Sarcophagi scatens.
Vt mors supposito sustulit ACCIDENS,
Quod mundi fuerat stupor.
Vultus Arsinoes membra Phaonia
Vidit putida Borgias.
Hoc illi tacito vulnere pectoris
Arcem, perculit ACCIDENS.
Hac plagâ melior Dux sapere incipit,
Vitæ velaque vertere.
Ergò macte animi quem lenis educat
Sortis Cosmotheæ sinus.
Magnatum titulos mens generosior,
Augustum populi Sophos.
Et quodcunque nitet rideat ACCIDENS.
Subsistentia perpete
Æuo Mnemosyne refricet Entia.
Si quod gesserit ACCIDENS
Subiectum, patitur nonne Cataphthoram?
Cristas erigit ACCIDENS
In bullasque animum tollit, & in scelus
Flectit cerea pectora.
Rarum est SVPPOSITVM *quod fatuus nitor*
Quod non destruat ACCIDENS.